

leat et teneat et aliter non. ¶ Preterea nulla persona civis
 Tergesti possit nec debeat, iure testamenti vel codicillorum
 273 A donationis ¹⁾ vel // cuiuscunque alterius alienationis causa mor-
 tis facte, bona sua mobilia a ²⁾ .XXV. libr. par. superius te-
 stari dare legare nec distribuere alicui filio filie nepoti nepti ³⁾ 5
 aut propinquo uni vel pluribus, nec alteri persone que non sit
 civis Tergesti et non fatiat vicinitatem Tergesti ut alii cives.
 ¶ Et quousque non fatiet vicinitatem et habitationem pre-
 dictam, nil habeat de dictis bonis; salvo quod, si infra quatuor
 menses post mortem donatoris vel testatoris iuraverit vicini- 10
 tatem ³⁾ civitatis Tergesti, si placuerit maiori consilio, et fa-
 cere fationes in civitate Tergesti ut alii cives, quod tunc tale
 legatum valeat et teneat; alioquin, elapsis dictis quatuor men-
 sibus, tale legatum vel donatum cadat in suos propinquiores
 qui sint cives Tergesti. ¶ Et si qua persona contrafecerit, to- 15
 tum plus predictarum vigintiquinque libr. par. superius sit
 irritum et cassum et deveniat in comuni. ¶ Et si tale plus
 haberi non poterit, tunc exigatur de aliis bonis defuncti vel
 donatoris et dividatur per modum predictum. ¶ Preterea,
 presenti statuto non obstante, volumus quod licitum sit cui 20
 libet persone dimittere et legare bona sua mobilia locis vene-
 rabilibus, secundum quod sue placuerit voluntati. ¶ Salvo
 quod, si qua persona civis vel habitatrix Tergesti acciperet
 aliquam mulierem forensem in uxorem, que non esset de na-
 tione Tergesti, et talis mulier forensis non haberet filios nec 25
 filias cum dicto viro, possit et valeat dimittere et legare dotes
 273 B suas cuicunque voluerit, quas habuerit // in dotem tempore
 contractus matrimonii predicti.

Cap. LVIII. Rubrica quod nullus civis Tergesti
 emat possessionem aliquam pro forensi. 30

Ordinamus quod, si quis civium nostrorum modo aliquo
 emeret possessionem aliquam in civitate Tergesti vel
 districtu positam pro aliquo forensi, tenendo ipsam posses-

¹⁾ donatione. ²⁾ a-superius aggiunta marginale. ³⁾ Aggiunta marginale.